

1662, 4

421.

DISCURSUM POLITICUM

DE

FOEMINARUM
IMPERIO.

Quod Regni Jure habent.

CONSENSU INCLUTÆ FACULTATIS
PHILOSOPHICÆ
PUBLICE PROPONUNT

M. JO. CHRISTIANUS *Lichter*

ET

GOTHOFREDUS *Eberhard*

ZITTAVIA LUSATI,

D. XVII. SEPTEMBRIS

A. M DC LXII.

LIPSIÆ

Literis WITTIGAVIANIS.

H Prof. Jan



NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, PRUDEN-
TISSIMISQUE VIRIS,

DN. JOHANNI Eichlern ab Auritz in Poritzsch.
DN. ANTONIO von Kohl.

REIPUBL. ZITTAVIENSIVM SENATORIBUS,
ET PRÆTORIBUS OPTIME IN PATRIAM
MERITIS.

UT ET

*Viris morum & gen integritate, nec non circumspēctā rerum
gerendarum solertia conspicuis*

DN. FRIDERICO Zöckeln.
DN. GOTHOFREDO Eichlern.
DN. JOHAN-GEORGIO Eberhard.

EX CIVIVM ORDINE PRIMARIIS.

DOMINIS AVUNCULIS, SUSCEPTORI, ET FAUTO-
RIBUS HONORATISSIMIS, PARENTIOVE
DILECTISSIMO

D. D.

RESPONDENS.



L. N. J.
I.

PRÆFATIO.

Fœminarum Imperium, quod ad Græcorum imitationem Gynæocratiam plerumque vocamus, uti æquitatis regulis, si rigidè agas, parum conveniens est; quo nomine & pleræque gentes illi locum apud se nullum fecerunt: ita vicissim nec inusitatum tamen planè habetur, nec omni penitus ratione caret. Illud triplex nobis hâc vice disputandi argumentum subministrabit. Primo de successione, quâ mediante fœminæ ad Regale solium perveniunt, brevissima & quasi aliud agendo proferemus. Deinde de ipso statu Regali, non quidem ut res postulat, sed habitâ temporis ratione agemus. Et tandem de festivitate nuptiali, quibus pactis eam fœmina Majestatem habens inire soleat, nonnulla subjungemus. Hæc tria enim circa filias Principum notabilissima sunt, Successio, Imperium, & Desponsatio. Ad quorum tractationem Divina auxiliante gratia progredimur. Benevolum lectorem autem rogamus, ut ea quæ dicturi sumus, & tribus quatuorvè horis nata sunt, boni velit consulere.

II.

Successio primum est nostræ tractationis, alter ad Imperium perveniendi modus regularis. Duo nimirum sunt quibus Imperium nanciscimur Electio & Successio, sive ut Aristoteles habet, Imperia quædam sanguinis jure, quædam electione deferuntur *3. Pol. 14.* Hæc in thesi & secundum naturam utriusque, quam illa, longè præstantior est *vid. Limnæum 2. J. P. cap. 3. n. 14. & in addit.* In ea autem nostræ materiæ quæstione, utrum fœminis jus summæ potestatis in ea gente de qua sermo, est

A 2

com-

H. Prof. J. J.

competat, & an iusta ad illud via sit perveniendi? rectè dijudicanda, plurimum interest scire, utrum apud eam fœminæ libertini populi suffragio eligi possint, utrum successio locum invenire soleat majorum jure & Regni consuetudine. Neque tamen hinc cum illis facimus, qui existimant discrimen summi Imperii aut summi minoris petendum ex delatione Imperii, per electionem aut successionem, atque ea Imperia summa esse, quæ successione deferuntur, quæ electione non item. Siquidem hæc universim vera non esse pro certo haberi debet. Nam successio non est titulus Imperii, qui Imperio formam assignet, sed veteris continuatio. Jus enim ab electione familiæ captum succedendo continuatur, quare quantum primo electio tribuit, tantum reliquis defert successio. *Hug. Grotius d. J. B. P. lib. 1. c. 3. S. 10.*

III.

De Electione quia maximè secundùm naturam est, sine dubio affirmandum, eam non posse, si legitima esse velit, sequioris sexus Imperium virorum Majestati præferre. Destitueretur enim iis rationibus quæ eligentibus semper ante oculos esse debent. Eligendus nimirum est talis, qui dignus sit Majestate, & in quo secundùm excellentiam omnes infint virtutes in quantum quidem moraliter est possibile. Eas autem communissime viris, rarius mulieribus inesse verius est. *Arnisæus 2. Relect. Polit. c. 2. sect. 4.* Inter virtutes ejusmodi Regias non infimæ sunt Prudentia, eaque tam civilis quam militaris. Prudentiæ enim ad omnes res humanas usus: sed ad Imperium maxime, quod sine eâ non solum infirmum sit, sed ausim dicere nullum *Lipsius 3. Polit. 1. n. 2.* Ast fœminæ Prudentiam & rationem vera Imperii instrumenta non habent, plerumque enim muliebri consilium deterius est *Tacit. 15. Annal.* Neque ex aliâ ratione fœminas in consilium vocare velle plurimis Politicorum displicet. Hinc *Aristoteles 1. Pol. cap. ult.* iis infirmam consultandi vim inesse dicit, quæ partim à judicii imbecillitate, partim ab affectuum vehementiâ, eoque regendi imparitate, quæ plurimum hunc sexum comitatur, oriatur. Eam excipit Fortitudo, virtus quæ homines maxi-

maximè verendos facit, præsertim imperantes, sine ea Prudentia parùm proficiet, cum quæ benè consulta sunt, fortiter non expediuntur. Sicut enim Prudentia opus est, ut utiliter de rebus omnibus, quæ ad usum nostrum pertinent, consulere & providere, optimisque nos, nostraque regere consiliis possimus, ita sæpe evenit, ut quando timendum est periculum eventus, illi, qui minus fortes sunt, facile ab optimo conatu desistant. Hinc rectius fœminis rerum bellicarum tractatio, ubi viris vires sufficiunt, denegatur. Non enim nata est mulier ut prælietur & in bello viros interimat, sed ut lanæ & panificii curam gerat, suæque domi bene vivat. De cæteris quoque non minima sunt argumenta, quæ nunc, quia breves esse volumus, huc non trahenda. *Vide Arnif. Doctr. Polit. libr. 1. cap. 6.*

IV.

Hæc de Electione. Ad quam etiam referendus est modus perveniendi ad Imperium per sortem, qui ab aliis immerito distinctus est *Cellarius 1. Polit. 3. §. 1.* Sors enim non minus quam suffragium modus est Electionis. Hinc electionem fieri dicimus communiter vel per sortem vel per suffragium. Cum enim electio nihil aliud sit, quam ubi ex pluribus personis aliquis ad aliquid destinatur, nihil est cur destinationem per sortem fieri non posse dubitemus. Notandum autem est tunc latè sumi electionis vocabulum: secundum strictiorem enim significationem est actus voluntatis appetens possibilia, propterea quia consultum est.

V.

De Successione autem aliud dicendum est. In Regnīs enim Patrimonialibus, & quæ pleno modo possidentur, quo minus succedant fœminæ nihil impedit. Et ejusmodi successiones partim moribus gentis receptæ, partim legibus fundamentalibus confirmatæ sunt. Sic in Ægypto & Britannia, olim factum videmus. Hujus enim populus Reginam nullo sexus discrimine ferre poterat *vid. Hug. Grotium 2. d. J. B. P. c. 7. §. 12.* plura ejusmodi successionum Exempla *vid. ap. Arnif. um Relect. Pol. lib. 2. cap. 2. sect. 12.* De Regno Hungariæ fœminas admittente *Dn. Joh. Stravch. Dissert. Exot. 1. th. 23.*

H Prof. J. J.

VI.

Multæ tamen econtra gentes Imperium foeminarum nullo modo tolerare possunt, utpote quas agnoscunt non ad imperandum, sed ad parendum natas esse. *Aristot. 1. Polit. 5.* Nec populus fuit unquam, qui foeminam, cum libera suffragia essent, ad Imperium evexisse legatur, imo gradu omnibus aliis propiores foeminas ad Imperii gubernacula nullatenus admittere voluerunt gentes ferè omnes, Assyrii, Persæ, Hebræi, Ægyptii, Græci, Romani, Abyssini, Turcæ, Tartari, Moscovitæ etiam, gentes aliàs incultissimæ *vid. Besoldum Dissert. Nomico Polit. XII. th. 3.* de Successione quæ regni fit Jure.

VII.

Multæ etiam plerorumque populorum leges & sanctiones unanimi concordia filias ex iisve descendentes in æternum remonent. Eas omnino rationi consentaneas putant plerique. Hoc enim medio non solum Gynæcocratia evitantur incommoditates, sed etiam multis in Regno mutationibus obviamitur.

IIX.

Huc pertinet decantata Lex Salica Francorum, cujus vigore ad mulieres ne minima portio hereditatis Regiæ transire potest *vid. Boxhorn. 2. Inst. Pol. c. 2. in fin. & Besold. d. diff. th. 5.* Dicta est illa lex à Saliis, sive Francis, sive Franconibus Germanis, unde & Franci Salinigi dicti, eo quod essent accolæ fluvii Salæ, qui è Franconia prodiens Thuringiam interlabitur. *Phil. de Mornay cap. 6. de stat. Gall.* De ea ita Arnisæus: Apud Gallos jactatur lex Salica, cujus nomen in ore habent omnes, sensum & verba concepta explicat nemo, perinde ut se rem habere videmus de lege Regia Romanorum, & Constantini donatione. Vides Arnisæum pro negativa Legis Salicæ facientem. *II. Rel. Pol. c. 2. §. 12. n. 44.* Supra citatus Autor tamen brevissima hujus Legis verba adducit hæc: In Terra Salica mulieres ne succedant, *Phil. de Mornay d. cap. 6. de Stat. Gall.* Ejus mentionem fieri in Libris Feudorum idem Autor testatur. *conf. Hottomannum Commentario d. Verb. Signif. voce Salica lex. Et in Franco Gall. cap. 9. & seqq.* Qui celebre suum

sum nomen insolentis hujus tractatus editione ut scribit *Morison*
in *Henrico M.* valde infamavit.

I X.

Certissimum hoc est, Gallos à foeminarum Imperio semper ab-
horruisse. Hinc Phil. Valesius Eduardo Angliæ Regi, qui gener erat
Caroli Pulchri, sine prole masculà defuncti, in successione prælatus,
illis sacræ scripturæ verbis se tuebatur: Considerate lilia agri non la-
borant, neque nent. Eo festive innuens, liliū Gallicum haud ca-
dere in colum & fufum. Verum Eduardus nunquam credidit, quod
talis lex, quæ foeminas in Regno Gallia succedere nullo modo patere-
tur, unquam sit condita, sed eam in fraudem filiarum ab agnatis com-
mentam confictamque esse dixit *Frossardus i. Histor. c. 4. vid. Petri*
Cardinalis Cameracens. Dialog. d. querelis Franc. & Angl. ap. Gold-
astum. Angli enim propter dictum Eduardi cum Caroli pulchri fi-
lia matrimonium Galliam ad se pertinere contendunt, atque ejus titu-
lam ad suum usque tempus Angliæ Reges usurpasse testatur *Sleidanus*
in præf. Cominei ubi Galliam & Angliam breviter describit. Ea An-
glorum prætenso bello teterrimo & periculoso, quod per multos an-
nos in Francia fecerunt Angli, dedit occasionem *vid. Besoldum d.*
dissert. th. 7. Excluduntur itaque foeminae in Gallia si non lege Salica,
certè antiquissima, quæque mores gentium imitatur consuetudine.
Ea consuetudo in tribus Regum familiis Merovingorum, Carolino-
rum, & Capetiorum, ex quâ modernus Rex Gallia est, (tot enim Fran-
corum Regum familiae numerantur) observata fuit ordine & invio-
labiler *Besoldus d. th. 7. in fin. conf. Limnaum in notis. Regn. Franc. l.*
2. c. 2. & 3.

X.

De legibus autem fundamentalibus & moribus, quorum vi & po-
testate foeminae in Regnis Patrimonialibus succedunt, sciendum est
eas respicere non tam personas foeminarum, quàm majorum, sive ut
evidentius loquar, leges fundamentales, quæ admittunt foeminas, hoc
in favorem Regis permittere videntur, ne habeat necesse metuere he-
reditatem tam splendidam quandoque ad remotiores, vel extraneos
plane

H Prof. J. J.

plane perventuram, & filiabus suis ablatam iri *Besoldus d. dissert. 12. 1b. 3.* Neque etiam in Regnis hereditariis ipsa res aliter postulat, in iis enim successionis ratio omnino dependet à voluntate defuncti Principis sive expressa, sive præsumta, sive in testamento, sive extra testamentum & ab intestato: Qui deficientibus filiis in dubio filias succedere debere voluisse credendus est *vid. Grotium l. 2. c. 7. passim.* Huic Principis voluntati si mores & leges gentium accesserint, successio foeminarum omnimodo legitima est. Attendendum autem nihilominus est, quid aliàs in simili casu & in eadem Republ. cæteris quoque paribus fuerit observatum: quæ enim semel recepta sunt tamdiu placere censentur, donec de alia voluntate expresso documento constet. Ethæ consuetudines legum imitatrices licet non sint optimæ, tolerandæ tamen, ne videamur injurii in eum qui ad eas occasionem dedit aut recepit. Mores Patrios enim violare ubique nefarium habetur, & quo magis majorum leges, quamvis deteriores observaveris, eo pecces minus *Lipsius 4. Pol. 9. n. 24.* Succedit itaque foemina non ut talis, sed ut filia Regis demortui, & quasi repræsentativa Patris imago, in hæreditario Regno ubi pater pleno Jure Rex fuit, & ex lege Regni, aut consuetudine mulieres ad successionem Regiam idoneæ reputantur neque de contrario specialiter provisum est. In aliis Regnis autem quale Galliæ Regnum est, *Limnaeus d. cap. 2.* planè non succedunt, imprimis si specialis lex ejusque perpetua observantia contrarium postulent atque præcipiant.

XI.

De variis successionis foemineæ modis, utpote quando succedant, quando minus, filiarum filia, an jure repræsentationis, ipsa filia an jure primogenituræ, quibus concurrentibus præferantur, an posthumo superveniente excludatur, & aliæ innumerabiles circa materiam successionis quæstiones difficillimæ, uti mihi quidem videtur, magis ad Cathedram

JCo-

Jctorum pertinent. Nam Juridica esse velex ipsis terminis & vocabulis apparet. Quamvis enim jus civile Romanorum, quod etiam de aliis, aliarumque gentium juribus affirmandum est, directam in his controversiis probandi vim non habeant, quippe quæ non nisi subditis cujusvis Reipubl. lata sunt, neque una Respubl. legibus suis aut moribus alteri præjudicare potest: Quia tamen ejus æquitas, adeo id omnibus gentibus commendatum reddidit, ut non solum apud Europæas, sed etiam apud Turcicam gentem receptum sit, *vide Artur. Duck. de usu & Auctoritate Juris Civilis inter Gentes.* Idcirco nihil prohibet, quo minus quando v.g. h. l. voluntas defuncti nimis obscura est, aut lex populi generalior, quam ut casum controversum comprehendat, ad faciendam præsumptionem, leges civiles aut instituta aliarum gentium, imprimis si moratiores sint, adhibeantur. Hæc enim quando maximam æquitatis naturalis ac utilitatis publicæ speciem præ se ferunt, ubique congruæ sunt. Quilibet enim in dubio id voluisse creditur, quod æquissimum est, & familiæ suæ, si Princeps, aut Reipubl., & libertati, si populus est, maximè proficuum. *Vid. dissert. Pol. M. Joh. Schmideli de jur. succed. in Principatu thes. 25. ubi etiam thes. sequenti de æquitate juris nostri Justinianei ex Alberico Gentile accommodatè disserit.*

XII.

Ponamus itaque Gynæocratiam in aliqua gente receptam esse, atque filiam Regis demortui in Regem esse electam, utique ea habeat Majestatem aliorum Regum non minorem. Regem voco non Reginam, quæ absolutam Regnorum suorum Potestatem habet, exemplo Mariæ Ungariæ, quæ se Regem ejus Regni in aureâ monetâ scripsit, eamque Regem suum subditi nominârunt *vid. Bodinum lib. 6. d. Republ. n. 738.* Neque incongruum est ut Reges appellentur, quæ Regis officium & virile munus administrant. Sic Baldus Jctus Johannam Neapolitanam non ut Reginam sed ut Regem in Cathedra

B

Rega-

H. Prof. J. J.

Regali sedisse scribit. *Vid. Herm. Kirchnerum de Republ. disput. 4. ceroll. 1.*

XIII.

Hinc eam Majestatem habere vel ex ipso nomine apparet, Majestatem inquam, & quæ eam sequuntur jura Majestatis, ita ut possit bellum vel ipsa gerere, vel per Duces instituere, pacem foederaque inire, legationes mittere; quorum omnia non sine fructu & utilitate Reipubl. neque sine singulari afflatu divino, & æterna apud posteros suæ & exterarum gentium laude egregie præstitit vel unicè nominanda Elisabetha Angliæ Regina, Regiarum virtutum nobilissimum exemplar: sed quæ institutione bonarum rerum, & earum meditatione & actione assidua ad supremum dum viveret Prudentiæ gradum, & ad eximiæ Fortitudinis & splendoris gloriam evecta fuit.

XIV.

Eam imitetur quæcunque foeminarum ad Gynæocratiam perventura est, & imprimis attendat finem, propter quem ipsi extra naturalem ordinem Imperium delatum est. Nimirum ut servet Rempubl. integram bonis legibus, honesta vita, & in omnibus moderato Imperio in familiæ suæ, & majorum gloriam & perpetuitatem. Imitetur Semiramidem, quæ impubere filio, eum sub forma foeminae Regnum adire non posset, mentito sexu, id laudabiliter administravit *Justinus lib. 1. c. 2.* Imitetur Laviniam, quæ Ascanio filio post excessum Patris Æneæ Imperium ad puberem ætatem incolume produxit. Tanta enim indoles in Lavinia erat, ut tutela muliebri res Latina & Regnum Avitum, Paternumque puero diutius stare potuisset *conf. Berneggerum quest. ad Tac. 42. 43. 165. & 192.*

XV.

Ultimum nostri Discursus est desponsatio, sive matrimonium illustrium foeminarum, non omnium quidem, sed earum ad quas Imperium pertinet. In Nuptiis enim harum personarum ineundis, imprimis

primis cautione opus est, ne Respubl. in deterius ruat. Nam cum matrimonio uxor in potestatem mariti jure communi veniat, Imperium quoque in maritum transit, & dotis vicem subire posse consentaneum est. Cavendum igitur, ne Imperium à familia amoveatur, & quod majus est, ne populus extraneo Principi subjici habeat necessesse. Hinc nonnullæ nationes, & si mulieres legibus aut consuetudine Regni à successione non excluderentur: sæpe tamen potestatem summam huic sexui denegarunt, ut ab exteri Principis dominatione essent securiores.

XVI.

Renunciatione itaque in hunc finem opuserit, quam vel foemina præstabit, vel ejus maritus: Prior est, cum foemina Regni capax extra Regnum maritum quærens, pro se & heredibus suis quibuscunque Regiæ successioni renunciat. Quamvis enim sæpius hoc renunciationis genus vel remissum, vel etiam non nocivum fuerit, nonnunquam tamen utiliter adhibitum fuit, uti de Anglia refert *Franc. Hottomannus*. Et cum timendum sit, fore ut facilè recusent ejusmodi Regis filia renunciationes, populus & ordines imperii, si qua ipsis in hoc genere potestas facta est reliqua, provideant, ut ne ex arbitrio suo maritum eligere possint, sed ad ordinum aut universi populi curam deliberatio ejus rei pertineat. Exemplum Scotiæ refert *Thuanus*.

XVII.

Alterum renunciationis genus est, quod à marito novo præstandum: ne scilicet Majestatis & Imperii jura sibi arrogare velit. His pactis conciliatæ sunt nuptiæ inter Isabellam Castiliæ Reginam & Ferdinandum Arragonum Regem. *Bodinus lib. 6. d. Respubl. cap. 5.* Huc pertinentia tradit *Matth. Wehner. tract. Von Veränderung der Regiementer cap. 8.* Ita nupsit supra laudata Maria Ungariæ & Poloniæ Regis filia Sigismundo Bohemiæ Regi ac Imperatori, quo nomine ut supra diximus etiam monetam auream sui nominis inscriptione insignivit: Maria Rex Ungariæ.

R 2

Hac


H. Prof. J. J.

Hac conditione Maria Anglorum Regina Philippo Hispanorum
Regi desponsata est. Eam tamen, forsan quod Principe viro
indignam censeret, subire noluit Ferdinandus Archidux Austriae.
Et sanè nisi à publica Reipubl. utilitate æquitatem sumeret,
nescio qua specie iniquitas, quam ei Bodinus
objicit, propelli pos-
set.

F I N I S.

ULB Halle
003 070 840


3




TA-OL

1017







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

1662,4

421.

LITICUM

ARUM

IO.

re habent.

Æ ACULTATIS

ICÆ

ONUNT

MIS Lichler

S Eberhard.

ATI,

BRIS

II.

VIANIS.

H Prof. J...

